



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 10. Quid de affectu etiam venialium?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

- » peccandi , gravari magis dico Eucharistiæ per-
 » ceptione , quàm purificari. Et ideo quamvis
 » quis peccato mordeatur , peccandi non habeat
 » de cætero voluntatem , & communicaturus
 » satisfaciat lacrymis & orationibus , & confi-
 » dens de Domini miseratione , qui peccata piæ
 » confessioni donare consuevit , accedat ad Eu-
 » charistiam intrepidus & securus. Sed hoc de
 » illo dico , quem capitalia & mortalia peccata
 » non gravant.

Huic Canoni innixus S. Franciscus Salesius,
 in introductione ad vitam devotam , Philothea
 suadet , ut singulis diebus Dominicis commu-
 nicet , modo absit affectus ad peccata morta-
 lia , & venialia. Quare hæc regula , ex sancto
 Francisco Salesio , dari potest ; quod ad suaden-
 dum alicui ut singulis diebus Dominicis com-
 municet necesse est ut sit exemptus ab omni
 peccato mortali , neque habeat affectum ad
 veniale , & magnum habeat communicandi
 desiderium. Ita suadet S. Franciscus Salesius
 2. p. cap. 20.

Quæst. 10. Quid intelligis cum asseris , de-
 ponendum esse omnem affectum etiam venia-
 lium peccatorum , ad fructuosè Communionem
 percipiendam ?

Resp. Intelligo renunciandum esse ex animo
 cuicumque rei , quæ Deum quamvis leviter
 possit offendere ; & operam dandam hujus-
 modi defectibus seriò emendandis , ad quos se
 quis propensum agnoscit.

S. Ansel-
 mus in 1.
 ad Corin-
 th. cap. 11.

- » Quare S. Anselmus ait : *Ante Communionem*
 » *nem* ubi est homo , versetur ante oculos ejus
 » imago futuri judicii , & quidquid in se viderit
 » quod à iudice venturo reprehendi possit & pu-
 » niri , ipso nunc in seipso reprehendat & puniat.
 » Peccata enim sive parva , sive magna , impu-
 » nita esse non possunt , quia aut homine pu-

niente aut Deo judicante *plectuntur.* cc

Verum autem, & præcipuum ex mediis, ad discernendum sit-ne in nobis aliquis affectus peccati venialis, est expendere, seu examinare, an aliquam adhibeamus diligentiam, ut præveniamus naturæ nostræ, ad hæc peccata propensionem; & fideliter applicemus remedia, quæ ab his eximere nos possunt. Sic qui propensus est ad levia mendacia proferenda, debet, quantum fieri potest, ante Communionem se retractare. Ille qui nimis propensus est ad sua commoda inordinatè quærenda, deberet se exercere in aliqua mortificatione quotiescumque agnoscit amorem suarum commodatum illum impulisse ut Deum leviter offenderet: qui se ad vanam gloriam inclinatum videt, deberet se in rebus humilibus exercere, ut se abjectum ostenderet coram illis cujus æstimationem inaniter prosequabatur, & sic de cæteris.

Quæst. II. Sufficit-ne ad frequentem Communionem carere affectu peccandi?

Resp. Præterea requiritur, ex Divo Salesio supra citato, magnum communicandi desiderium. Quare S. Chrysostomus ait, *Nemo igitur* cum nausea accedat, nemo remissus: sed excitati, ac incensi, ac ferventes omnes accedant. Non videtis quantâ infantibus animi alacritate mamillas arripiunt? Qua pressione papillis infigunt labia? Non minori cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad hujus Calicis spiritualementem accedamus papillam; imò verò majori desiderio quasi lactentes pueri gratiam Spiritûs sugamus. Unus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc alimento spirituali privamur. cc

Verum ne nosmetipsos in hoc desiderio fallamus, sciendum est, hujusmodi desiderium duplicis esse generis, sicut duplex est fames

cc S. Chry-
soft. hom.
cc 8, in Matt;

cc
cc
cc
cc
cc
cc
cc